



tiva, vel spoliata: quod signatim quadrat in Franciscanum Ordinem, qui mundialibus bonis usque adeo ex vi sui instituti spoliatur, ut nihil proprium non solum in particulari, sed neque in communi possit admittere. De hac igitur Religiosa Familia id habes proprium. Umbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis. Pro tornatilis est Hebraice sabar: quod ab Hebraizantibus transfertur, Sicut vas rotundum instar lune plena. a nostro Sanctio; Instar lune rotundatus umbilicus. Et putat ipse, & multi alii applaudunt, umbilici appellatione designari hic pretiosum quemdam lapidem, seu auream laminam, sic dictam, quia illam vestis partem ornabat, quae umbilico imminet; sicut enim integumenta, & ornamenta nomen fumere ab ea parte, quam tegunt & ornant. Et lunata monilia non semel commendantur in sacris & humanioribus litteris, quod lunae imitantur vultus, seu plenos, seu non integros. Isai. 3. 18. Auferet Dominus lunulas. Ubi Hieronymus: Habent mulieres in luna similitudinem bullulas dependentes. Judicium 8. 21. Extulit ornamenta, & bullas. Hebraice sabaronim; quod hic, & apud Isaiam, LXX. lunulas interpretantur. Vide Serarium quaest. 15. in cap. 8. Judicium, Cornelium, & Alvarez in Isai. cap. 3. Nonnum hb. 5. Dionysiorum: Illa vero luna habuit lapidem totum candidum, qui bene cornuta Dea deficiente decrevit, & augetur cum luna. Et Statius lib. 9. Theb. lunata monilia canit. Et quia lunatum illud Religiosae sponsae monile secundum partem concavam crateri, secundum vero convexam lunae simile erat, ideo crater appellatur non indigens poculis, id est, lymphis seu ablutionibus ad munditiam; erat enim nitidissimus, splendidus, tersus: ex crystallo (ut noster Sherlogus putat) quae ex congelatis aquis creari solet, uti nostri probant Conimbricenses Tractatu 7. in Meteora Aristotelis cap. 5. in fine, & denotat Siracides cap. 43. 22. & Jobus 38. 30. 1789 Porro, hieroglyphicum est hoc lunatum monile, pretiosa isthaec lunae crystallina imago hieroglyphica extat, quae Religiosae Franciscanae signatim, designat fecunditatem, nitidissimam planè, impollutam omnino, nullà labe nullisque sordibus infectam, sed castitate splendentem. Subinde nobilibus atque copiosus partus ei deputatur; copiosissima spiritualium filiorum soboles, qualis post triturationem mons tritici erectus, cuius sepimentum non ex paleis, aut arborum frondibus, sed ex liliis, & rosis. Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis. Hebraice septus rosis. Tuccius in Annotationibus super Cantico Canticorum, Annotatione Rosa causa 4. transfert ex Graeco, Uterus tuus tritici ager. In quo copia granorum major ob immensitatem longitudinis, & latitudinis; ut qui non clauditur aedificio, cum sit sine villa, sed sepe ex rosis, quae ex spinis nascuntur. Quid pro Franciscanae Religionis ingenti fecunditate, multa pulcherrimaeque sobole luculentius! Observat hic argute noster Alcazar quod in Minorum Ordinem cadit verissime: nempe illum triticorum cumulum, seu agrum, liliis vallatum dici; quibus exprimat fore ejusmodi mul-

Cant. 7. 2.

סחר

Isnatum monile.

Isai. 3. 18.

Jud. 8. 21.

שחרני

Nonnum.

Status:

Franciscana proles Aceruus tritici septus rosis.

Tuccius.

tiplicationem, quae non modò numerum, sed Deo gloriam maximam, & Ecclesiae exaltationem gloriosissimam afferret. Est enim lilium, ut ipse late probat Alcazar, gloriosae exaltationis symbolum, & splendidissimae commutationis ab humili statu ad sublimitatem gloriosam; quod mira herbae, unde lilium erumpit, celsitate bellè designatur; nam, ut Plinius ait, nulli florum celsitas major, interdum cubitorum trium. At enim non fat esset, si copiosa gauderet sobole Franciscana Familia; nam legimus apud Isai. 9. 3. Multiplicasti gentem, & non magnificasti letitiam: at enim in ingente hujus sacri Ordinis sobole & fructu, huic associatur pariter maxima Dei gloria, & ingens totius Ecclesiae exaltatio liliis designata. 1790 Quò spectat indubiè Isaias cap. 60. ubi de Ecclesiae Christianae statu felicissimo propheticus sermo est. Populus tuus omnes justi, in perpetuum hereditabunt terram, germen plantationis meae, opus manus meae ad glorificandum: Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam. Ego Dominus in tempore ejus subitò faciam istud. Omnes in primis Francisci filios appellat justos, quia justitiae, seu eximiae sanctitatis legibus excoluntur, & vitae ratio perfectissimae ad Apostolicam perfectionem instituit. Illis futuram esse perpetuam, & propriam terrae possessionem, praedicat deinde: Nonne Franciscani sunt, de quibus Apostolus jure merito dicit: Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes? 2. Corint. 6. 10. Denique antedicit numerosam Francisci sobolem, & sylvam filiorum ingentem, in quibus emineat ingens Dei gloria & eximia Ecclesiae totius exaltatio. Germen plantationis meae, opus manus meae ad glorificandum. Tigurina priora verba sic fert: Flos plantationis ipsius: cum respectu aliquo, ut reor, ad id, quod verisimè: quasi plantatio Rosa in Jericho. LXX. vertunt, & ex Hebraeo verti etiam poterit cum Leone Castrio: custodiens plantationem: quod ad populum illum justum refero, qui proximè praecessit; & ad quem spectat custodire plantationem Rosae illam, nempe Christi & Deiparae gloriosam exaltationem quasi Rosa in Jericho. Utique ad glorificandum, aut ex lectione LXX. in gloriam ipsius Dei. Subtextit illicò: Minimus erit in mille. Forerius ex Hebraeo transfert: Minor erit in mille. Pagninus; Parva Familia erit in mille. Propè dixisset: Minor, vel Minorum Familia erit in mille: id est, in numero sam, imò & in innumeram sobolem multiplicabitur: nam millenarius numerus pro innumero solet in sacris litteris usurpari. Cant. 4. 4. Mille clypei pendent ex ea; id est, innumeri, ut explicant Theodoretus, Psellus, & multi alii. Et parvulus in gentem fortissimam. Arias Montanus ex Hebraico textu vertit: in gentem osseam, firmissimam, insuperabilem. Benè hæc Forerius ad infinitum parvulorum numerum refert, qui uberimos fructus, & Deo gratissimos protulerunt, quales fuerunt Religionum Auctores. Ad unum Franciscum, ejusque numerosissimam Familiam signatissimè referenda. In qua associatur infinito numero maxima Dei gloria, Christi ac Deiparae, & totius Ecclesiae gloriosa exaltatio. O nimis verum illud! Deus, qui Ecclesiam tuam Beati Francisci meritis factu novae prolis amplificas. Quò revoces lunam

Lilia symbolum gloriosae exaltationis.

Plini.

Isai. 9. 3.

Isai. 60. 21.

Vaticinium de Franciscani Ordinis gloria.

2. Cor. 6. 10.

Forerius Pagnin.

Cant. 4. 4.

Forerius.

Apoc. 12.

lunam illam subter Ecclesiae pede constitutam Apocalyp. 12. quasi lunare minus, sed fecundissimum, opem ferens suo contactu & virtute parturienti saeminae, ut partus esset faustus & auspiciousissimus; ut re vera extat, Franciscana Religione, quasi mystica Luna seu Lucina, fervente, stabiliente. Mirto alias mysticas observationes, coela tones, similitudines, & allegorias Franciscanae Familiae & Lunae, quas tibi expendendas relinquo.

§. III.

Franciscanus Ordo bonum Christi crucifixi odorem spirat, ac triumphos praesert.

1791 Sonat etiam Jericho, Odor ejus. Jerichuntinus enim Tractus laeta amoenitate florum, aromatatumque coronatus suavissimam halabat fragrantiam, quam longè lateque diffundebat. Et quia roseis signatim aspectu gratissimis, insatiabilem odorem reddentibus, & coloris praeslantia insigniter coruscantibus, illustrabatur, ideo Jericho, id est, odor ejus dicta à Rosarum copia decantatissima. Cupis, uno verbo dicam, quis Franciscanus Ordo sit? Certè, praereliquis Ecclesiae Religiosis Ordinibus, ipse, bonus Christi crucifixi odor extat. Jericho quidem, id est, odor ejus, qui exaltatus in Cruce est, quasi plantatio Rosa, sanguine colore suaverubens. Hinc illa Pauli verba Franciscanam Familiam spectantia: Deo gratias, qui semper triumphat nos (id est, triumphare facit, vel per nos triumphum agit, aut nos conspicuos facit & ostendit) in Christo. Et odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi sunt, & in iis, qui pereunt. 2. Cor. 2. 14. De his, qui bonum Christi crucifixi odorem circumquaque transmittunt, seipos immolantes & crucifigentes, explicat S. Chrysostomus Hom. 5. in illa verba: Aut enim hoc dicit quod Apostoli seipos immolarent morientes; aut quod Christi immolatio bonus sit odor: quasi dicat aliquis: Hujus victimae bonus est odor, hic suffusus. Bonum utique Crucifixi Jesu Odorem halat potissimum crucifixorum Familia, Franciscana nimirum, praerente Francisco ad Crucifixi similitudinem divinitus efformato; seu, ut loquitur in ejus vita S. Bonaventura c. 13. Toto in Christi crucifixi similitudinem transformato. Et dixerat c. 4. satis concinnè: Impressa sunt ei stigmata Domini Jesu digito Dei vivi, tanquam Bulla summi Pontificis Christi, ad confirmationem omnimodam regule, & commendationem auctoris. Ut utique ex Bulla ipsa constaret, Minorum institutum esse per antonomasiam, Crucifixorum vitam, qui crucifixi Jesu fragrantiam quoquo versus diffundunt. Sic illi triumphant, sic per illos Christus detriumphat crucifixus. 1792 Ad rem facit arcana illa Pf. 44. inscriptio: In sinem, pro iis, qui commutabuntur, filius Core. S. Hieronymus testatur verti à Symmacho, suo more manifestius: Triumphus pro floribus filiorum Core. Alii vertunt: Triumphus pro Rosis. Tuccius supra memoratus legit: ad victoriam super Rosis, vel super Rosa. Nonnulli apud Lorinum nostrum vertunt: effundenti sanguinem: id est, Christo crucifixo, quasi sanguineae Rosae suaveolenti. Filiorum

Core dicuntur esse istiusmodi Rosae, quarum triumphus hic canitur: neque inutiliter; nam filios Core vertit S. Augustinus, filios calvariae, vel Calvaria, illius nempe, qui in Calvaria loco crucifixus est. Certè etiam calvariae filii sunt omnes Christiani, insciabitur nemo Franciscanos id sibi nomen peculiari jure vindicare, ut qui specialissimi calvariae cultores semper & ubique extiterint. En tibi triumphus Rosae, vel Rosarum Filiorum calvariae. En qua ratione crucifixus Jesus per Franciscum, ejusque crucifixorum Familiam triumphet, dum odorem notitiae suae manifestat per illos, qui Christi crucifixi bonus odor per Deo ipsi, & universae Ecclesiae. In vita S. Francisci c. 3. meminit S. Bonaventura cujusdam visionis sacerdoti ostensa. Videbat in somnis 10-

Franciscanus filii calvariae, & Rosae triumphus de Tartareo Dracone.

S. Bonav.

§. IV.

Christus (ad instar plantae rosarum ob multas analogias) exaltatus in Franciscano Ordine.

1793 In hoc itaque Franciscano Ordine; quasi in mystica Jericho, praedicatur corporata Sapiencia gloriosissime exaltata quasi plantatio Rosa in Jericho. Tigurina, veluti plantae Rosarum in Jericho. Drulius, ut stirpes Rosae in Jericho. Camerarius, sicut plantae rosei prolatae in Jericho. Syrus pro exaltata, legit, nutrita sum. De Christo literarius est sermo. Audiendus S. Chrysostomus Tom. 2. Hom. 36. in Matthaeum ad illa c. 20. 29. verba: Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa, & ecce duo caeci. sic illustrat ad rem nostram opportunè. Quis non desideret Christum, aut quis non sequatur eum, quem etiam duo caeci, antequam corporaliter viderant, spiritualiter aspexerunt, & antequam audirent, crediderunt? Nimirum haec est illa Rosa in campis Jericho, de qua Sapiencia loquitur: Sicut Palma exaltata sum in Cades, & sicut plantatio Rosae in Jericho. Ergo haec est illa speciosissima Rosa sanctitate justitiae candida, & passionis sanguine rubicunda. Sicut enim Rosa antequam videatur, sentitur, & antequam veniat, tenetur in odoribus suis; sic & Dominum transeuntem de longè, duo caeci, antequam viderent, divinitatis ejus fragrantiam senserunt. Benè de Rosa Anacreon in Carmine de Rosa: status est Deorum. Verè, & melius Chrysostomus de Christo ait, halare ex se divinitatis fragrantiam. Rosa odore suo gratissimo reliquis

Matt. 20. 29.

S. Chryl.

Isai. 44. 1.